Rybkowius Joan. Augustini: Illmo ac Rmo in Christo Patri D. D. Martino Szyszkowski Ep. Crac. suum episcopatum ingredienti panegyricus.

Illustrissimo ac Rndiss. in Christo Patri Dño Dño

MARTINO SYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopo Crac: Duci Seuerien. Academię Cancellario dignissimo. &c. &c.

Felici faustoq; Omine suum Episcopatum ingredienti

PANEGYRICVS.

M. IOANNIS AVGVSTINI RYBKOWICZ Crac. Philosophiæ in Acad. Regij Profess.

CRACOVIÆ,
In Typogr. Lazari, apud Matth: Andreouien.
Anno Dñi. 1617.

In Arma Illustrissimi.



QVid Dictynna nitens effigiat? quam ortus, & occidens
Ostentat? roseo sanguine quid tinctaq; Crux probat?
Disces, quisquis amas stemma vetus PRÆSVLIS inclyti
SYSZKOWSKI, docet id præsidio viuere Numinis
Æterni; fugere & multiplicis, deuia criminis:
Vrbs Craci; niueâ Pontificis mente, decus tene:
Hoc suffulta, premes sydera dein tuta periculis.
Multùm grate ouibus Pastor, Aue; viue perenniter.

M. Matth: Buczkouius.

PANEGYRICVS.

INgens profectò; laboris pro Virtute, vel Republica suscepti, præmium illi ferre videntur: Illustriss: ac Reuerendiss: Antistes: quorum quò maiora in omne genus mortalium beneficia numerantur, eo plus animi ad præclarum illud de omnibus benè merendi studium conferre solent. Nam quæ per Deum immortalem, animo excelso cui caduca sordent omnia, laus verior accidere potest: quam quæ animo benè in omnes affecto, ad beneque faciendum propenso quæritur? aut quis amplior ei videbitur Honor, illo ipso, quem communis boni augendi procreatrix peperit in omnes beneuolentia? cuius honor est perpetuæ virtutis præmium: non, vt aura popularis illa, quoddam incitamentum ad tempus. Et certè si quãtum homines ad illud Honoris atque Gloriæ decus adspirãt: tantùm apud se cogitarent, simulq; curarẽt, vndenam vera illius ornamenta nascantur: ausim dicere, nullius Honorem in dubium aliquando vocatum iri. Quis non suspiciat, ac in votis quoq; habeat illam, quam si Poëtis credimus, Antiquitas docta Diuam fecerat purpureo habitu, vt longè lateq; conspicuam:

spicuam:

ſpicuam: cuius tempora Laurus deuinciens, virore ſemper vigenti ac virenti ſuo, nihil niſi immortale præferat: Paludamentum verò illud purpureum, linguis oculisq; paſsim adſperſum, diſtinguebatur: an quia Diua hæc, Gloria, inquam, immortalis vno in loco pedem figere neſcia, ſuos alumnos vbique locorum inſpiciat, vel alloquatur? an certè ideò quod quem Gloria celebrem omnium ora loquuntur, in eundem omnium oculi, vt quondam in Themiſtoclem ex pugna Salamiaca ludos ad Olympicos glorioſè progredientem, coniecti ſint? At verò quotuſquiſq; eſt in hac hominum rerumque Scena, qui expreſſam illam non adumbratam, ſolidam non fucatã, ſe adeptum Gloriam, non abſq; Virtutis iniuria lætetur? qui non præaltis illis quidem, at labilibus Fortunæ fulcris innixus, licet ſuopte animo & ingenio paruus, magnum ſe in ſpeciem efficere velit? Perinde atq; artifices illi ſtatuas minores, grandiores faciunt, dum grandi peryſtilio ſuperponunt: aut vt magnus pumilio eſſe ſolet, dum in monte conſtiterit.
« Omnes (vt Lyricorum ſummi verbis vtar) fulgente
« trahit conſtrictos gloria curru non minus ignotos ge-
« neroſis: cum tamen rerum Cenſor quiſq; bonus, nihil tam alienum ab officio ſuo putet: quam vt aliunde, non ex animo benefico veri Honoris menſuram
« æſtimet: cui Magno cum illo Socrate tantus quiſq; eſt: quantus Animus eius eſt: atq; ideò tam honoratus quam

tus quam bonus & ſapiens, vbicunq; ille ſedeat ad Clauum, aut Remos nihil refert: honorem vbique »
ſuum tuebitur: vt & Coloſſus magnitudinem ſerua- »
bit, etiamſi (grauiſsimo autore Seneca) vel in puteo »
ſteterit. Ea nimirum Tibi ſemper fuit, ac nunc etiam »
eſt Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Antiſtes Gloriæ atque Honoris æſtimatio, vt quoties magnum aliquem ex æquo æſtimare velis, ita & non aliter cenſeas: nudũ »
ſi (quod Romanus iam dictus monet, Sapiens) in- »
ſpicias: Deponis illa omnia, ſeu quæ auræ popularis, »
ſeu quæ Fortunæ ſunt munera, corpus etiam exuis ipſum, & animum intueris, qualis ſit quantuſq; alieno an ſuo magnus? Nec alia eſt apud te Honoris menſura, quã quæ ex animo petitur Virtus & Sapientia; quarum amor animo terræ contemptori, vel ſemel poſteaquam inſederit, adeò ſibi deuinctum reddit: vt nullam quantumuis ampliſsimam putet eſſe laudẽ: quæ non ingenij labore, animiq; contentione, boni cauſſâ publici ſuſceptâ paretur. Hoc enim illud eſt in magnis illis ex vetere noſtraque memoria viris admirabile, cunctis iure ſpectandum ſed & imitandũ, quod eos, quos nec ſuperbæ illæ Cræſi Lydorum vel Darij Perſarum Principis Gazæ: nec illa ab orbis Cãdidato, potius quam Domitore Macedone, magna orbis parte circumlata Trophæa, nec Triumphales Romanorum Arcus, aut Statuæ, vel Delubra victoribus erecta, quærendam ad nominis immortalitatem inflam-

inflammare poterant: hos vnicum animi pro communi fructu omnium exercendi studium, ad sublimes illas quærendi & parandi Honoris veri cogitationes erexit: his ad illud pulcherrimum Gloriæ curriculum magno sudore metiendum calcar admouit. Sic & in Animo tuo Illustriss; Præsul diuinitus procreato & recto; qui suapte naturâ de cælo haustus, Aeternitatis illius Candidatus est: hactenus omnia benè beateq; viuendi post Deum subsidia; proindeq; Honoris illius perpetui Monumēta fuere. Nam posteaquam Hominem, & quidem in Ecclesia Christi Laureatum, in Republica Ciuem te esse didicisti, & Honorem & Felicitatem; non nisi animo quo solo, vel præcipuo sumus homines quærere consueuisti. Atq; aderat semper huic tam præclaro conatui Deus ille Honoris & Felicitatis princeps: qui tuum illũ verè magnum Animum, dum in magnis pro Ecclesia sua & Repub. Polona rebus à te gestis propitio Numine suo felicem prouexit; non modo ad hunc in Ecclesia & R. P. summo proximum, qui tantum ad sydera spectat honorem perduxit: sed etiam vt vel ex te ipso, quamuis rerum iusti Censores deessent: Reuerentiam in testimonium virtutis ac summæ dignitatis haberes: certam testem, rectè ac præclarè factorum optimè consciam mentem dedit. Et licet Tu vt quisq; bonorum existimes: verùm decus in te ipso repositum esse debere: tantumq; in tuum nomen imò & vitam splendoris illucescere: quantum iudicio, secundùm Deum, vel tuo proprio, vel sapientum hominum Industriæ tuę Virtutiq; delatum fuerit: cum vtraque illa pro Te satis vbique testentur: Magnitudinem animi tui, rerumq; ab eo profectarũ eam esse; quam nec amantium; quales in te omnes; Encomia maiorem, nec maleuolorum; quos nullos tibi puto, linguæ minorem efficerent: tamen hæc ipsa præclarissima dignitatis Pontificiæ atque Senatoriæ decora, quibus ornatus ad hanc Cathedram sublimem D. Stanislai Pontificis & Martyris inclyti sanguine conspersam, Themistocle gloriosior prouectus ascendis: ita satis magnificè pro te loquuntur, vt quamuis omnia publica laudationum monumenta Panegyrici, Epæni, Elogia tacerent, Episcopum te nostrum feliciter ad nos progredientem Stanislai Cathedra & Honore Pontificio dignum esse testarētur. Nam cùm inter alios Ordinis Tui Claros & Illustres viros id tibi diuina sorte quadam contigisset: vt maiore animo, honestatis fructum in conscientia, quam in fama reponeres: id vnum semper agebas; ex quo primam Virtutum ac Literarum lucem adspexisti: vt quà in Templo, quà in Senatu publicè priuatimque Dignus esses. Et sanè; præclarum, Tibi nunc, Episcopa hæc Tua Cracouiensis, est apud omnes Virtutis Honorisque testimonium: quod vel à longe spectātes audientesque doceat: post duas illas adeò celebres

bres Infulas, & hanc qua te nunc à Deo redimitum auctumq; videmus; augustissimo vertici tuo peraugustam imponendam fuisse: ex qua non minor ad te, post Diuinam illam Gloria; quam ad omnes lætitia salusque redundabit. Nam certè Panegyrim hanc, felicissimo Tuo ad nos aduentu, apud omnes omnium Ordinum, ætatumq; homines percelebrem contemplanti mihi, diuinitùs factum videtur Illustriss: ac Reuerendiss: Autistes, vt sub id ferè tempus nostrum Te Præsulem salutemus: quo Principem Regni huius, & inprimis Diœcesis tuæ Cracouiensis Tutelarem D. Stanislaum Pontificem nostrum, præter illam suam Purpuram Pontificiam, sanguine quoq; proprio Veritatis, Ecclesię, Reipublicæq; causa, purpuratum venerabamur. Hæc illa dies erat, albo simul & rubenti lapillo notanda, qua Tuus hic & noster Antistes Maximus, cuius ad Cathedram Electionis ac Successionis iure legittimo vocaris, Ouium sibi creditarum vitam propria vita libenter cum sanguine pro illis fusa repræsentauit: illamque Cæli curiam, ex hac Episcopa terrena, lætabundus & fælix, ideoq; triumphans ingressus: Epithalamium perno-bile, ab ipsis Paranymphis Cælitibus, iubente simul ac docente ipso Deo nuptiarum Architriclino, decan-
" tantum inaudiuit: Pastor cadit in gregis medio, dor-
" mit Sponsus in sponsæ gremio, mater plorans gaudet
" in filio, quia viuit victor sub gladio. Et ecce; quæ tua

hæc &

hæc & nostra felicitas est? dum nos vbiq; in Polonia maximè verò hic, ad D. Martyris felices exuuias, pro tanto pastore nostro, gratias effusas immortali Deo litamus: Tu venis ad templum Episcopus: dum Hostiam omni sanctitate maiorem immolamus; accedis ad altare Pontifex; dum nihil nisi Panegyricos, Encomia, & Hymnorum Carmina meditamur: Conscendis Cathedram Doctor: dum Vrbs ipsa lætos applausus congeminat: recognoscis populum Pastor: Quasi hæc omnia gloriæ splendentis insignia, quibus floruit, æternumq; florebit Stanislaus noster, in Te Successore suo & Antistite nostro, nobis ob oculos ponat: vt qui Te Stanislai Templo, Altari, Cathedræ, populo, nunc admotum incredibili voluptate nostra videmus, in Te Stanislaum nostrum ad nos ceu reducem obuiis vlnis & animis amplectamur. Quod ipsum amplissimi honoris Tui, maximæq; dignitatis, ex publica omnium gratulatione Symbolum illustre: meritorum anteacti, nuncque apud nos felicissimè gerendi Pontificij muneris Elogium: quando Tu Illustriss: & Reuerendiss: Antistes Domine ac Mecœnas benignissime, pro ea qua es incredibili benignitate humanissimus obaudis: liceat quæso mihi per innatam illam animo Tuo facilitatem: ad Panegyrim hanc Tibi gloriosam nobis peroptatam, ab illis meis quæ tibi secundùm Deum viuere ac placere gestiunt, Musis Academicis paululùm ex-

B currere:

currere: ad quam si Panegyricum illum Isocraticũ, vel Plinianum haud affero: cogitabis, quæ Tua sapientia est, licuisse Sacerdoti Episcopum, Academico Cancellarium, Clienti Mecœnatem, triplici nomine Suum; magis animo quàm dictione, gratulationis voluntate ac officio, quàm Orationis apparatu vel elegantia conuenire: Cuius ex amplissima dignitate, quicquid ornamenti esse potest: ad nos Academicos omnes redundabit: mihi verò quicquid felicitatis in omni reliqua vita speratur: hinc post Deum, tanquam ex fonte hauriendum erit. Faue mihi quæso maiorem in modum Antistes Benignissime, insita clementia moribus Tuis: quæ quò magis omnes Panegyricos etiam doctioris illius æui post se relinquit, eò minùs his extollitur, non alia parte felicior, quàm quod illi sit Meruisse Satis.

Cum omnia, quæ siue in Ecclesia siue in Politia Ecclesiæ filia & famula rectè instituta, præclarè agi videntur: Illustriss: ac Reuerendiss: Præsul: Numen illud omni veneratione maius respiciant, quo sine auctore nihil in rebus diuinis iuxtaq; humanis optimè fit, illud certè inter prima censeri debet: si Princeps talis illi obtigerit: in quem illa nunquam satis laudata Religionis, Sapientiæ, Felicitatis in regendo tria decora conspirare videntur: ex quibus ad Principem autoritas, ad subditos incolumitas, atque adeò salus ad R. P. vniuersã dimanare solet. Creato quondam Clemente VIII. Pontifice Summo, cùm vniuersus gestiret lætitia S. P. Q. R. rogareturque à quibusdam Petrus Aldobrandinus Pontificis ex Fratre nepos, antequam ex purpuratis Patribus vnus esset: quorum suffragiis summus factus esset Pontifex Hyppolitus Aldobrandinus Patruus ille suus; Non fieri Summum Pontificem, sed factum de cælo recipi sapienter respondit; quod maius imperium à minore creari ius non sit; Non tàm ex humano scilicet, quàm Diuino fieri consilio principem; vir ille magnus præclarè monuit: Nec enim par est & consentaneum rationi: vt quis fiat ab hominibus: qui potest plùs quàm hominum vis simul potest & natura. Quod idem in hac Tua pro Episcopatu Cracouiensi, quem Illustriss: Præsul fausto pede ingrederis Inauguratione, si dixerimus nos Clerus Populusque tuus vniuersus: tantùm à specie adulationis abfuerit hæc Gratulatio nostra, quantùm abest à necessitate. Postquam enim Petrus ille Tylicius optimis Episcopis adnumerandus inter mortales esse desiit Tu MARTINE SISCOVI; qui & animo & rebus gestis Petrum Tylicium verè magnum; omnino semper hactenus expressisti Dei Optimi Maximi beneficio, Sacrosanctæ Sedis Romanæ iudicio, Principis Serenissimi voluntate, Amplissimæ Diœcesis huius Episcopus & Nominatus & Electus es. Ergo dum Inauctoraris apud nos; ipso duce & auspice Deo suoque in terris Vicario: hæc

rio : hæc ipſa cuius & Paſtor & Sponſus eris Eccleſiâ
Cracouienſis. cum ſacro longeq; ampliſsimo totius
Capituli atq; Cleri ſui Collegio : cum tota Vniuer-
ſitate Academica, plebe demùm vniuerſa effuſis in
omnem lætitiam animis atque votis diuinitùs da-
tum Te ſibi Epiſcopum iucundiſsimè recognoſcit:
eò vel potiſsimùm nomine quod Religione, Sapien-
tia, Felicique gubernandi munere, laudatiſsimum;
Dei gratia, nacti Præſulem : in ſpem minimè dubiam
omnes veniamus : ampliora nobis in dies ex tali Epi-
ſcopo præſidia futura, quæ ab illa ſola apud Catholi-
cos veriſsima Religione, huiuſque germana Sapien-
tia, nec non earum agnata, gubernãdi Ratione opti-
ma naſcuntur. Nam quidquid in Eccleſia Dei, quæ
omnibus in Orbe hoc Imperiis atque Regnis caput
ſuum iure optimo præferre debet; reperire liceat pi-
um, ad Vnius & Trini Dei Optimi Maximiq; cultum
augendum; quidquid ſanctum, ad vitam cum mori-
bus ex lege Dei formãdam; quicquid illuſtre ad glo-
riam, cum nominis immortalitate parandam, id ex
tribus hiſce quaſi fontibus. (Religionem dico Sapi-
entiam, & præclaram adminiſtrandi rationem) ema-
nare videmus. Religionem ſiue à religando ſeu à re-
legendo dictam eſſe: Fidei noſtræ Antiſtites olim
docuerunt : quod ſcilicet per eam Vnitrinoq; Deo
animam noſtram animo ſeruiendi religamus, atque
Deum

Deum illum quem negligentes amiſeramus, dili-
gentes relegimus: Virtus hæc eſt gentilibus etiam
illis commendata: quæ ſuperioris cuiuſdam natu-
ræ, Diuinam illam vocant; curam Cærimoniamque
adfert: Cultus hic eſt (Religioſsimo teſte Augu- „
ſtino) diuinus, quo ſe anima ſoli Deo, vnde ſe pec- „
cato ſeparauerat reconciliatione ligat; ac proinde
quoq; finem duplicem, pulcherrima ſocietate nexũ
complectitur: alterum vltimum, in quem tendit Re-
ligio nempe Deum : alterum medium ſcilicet homi-
nem, qui Religione aſpirat in Eum: Teſſera illa eſt
minimè fracta; quam cum Deo habemus, quando re-
cto ſenſu, & recto cultu, eidem ſociamur atq; adhæ-
remus: Hanc verò ſtatim è veſtigio comitatur illa
Sapientia multarum & mirabilium rerum, diuinarũ „
& humanarum ſcientia, vt potè primarum & altiſſi- „
marum cognitio cauſarum, magno ſi Ariſtoteli; par-
ticipium diuinæ Sapientiæ quæ Deus ipſe eſt, ſi An-
gelico Aquinati credimus; Germana ſanè Religionis
& prima ſoror; ſine qua nullam vnquam ſuſcipien-
dam eſſe Religionem, vt viciſsim nullo pacto ſine hac
probandam Sapientiam, Chriſtianorum Cicero La-
ctantius monebat. Et iure quidem: Nam quod ali-
ud Sapientiæ Religioſæ, niſi quod & Religionis Sa-
pientis munus proprium eſt? poſtquam falſa intelle-
xeris, qui ſanè primus; & vera cognoueris, qui alter
Sapientiæ gradus eſt: in hoc vno totum eſſe vt Deum

cognoſcas & colas; ab ipſius ore nunquam non pendeas: illius vocem audire cupias: eius iuſſa, monita, & conſilia promptus ac fidelis expleas. Id ipſum verè noſtrum, Chriſtianum ſcilicet dogma, in quo perfectionis noſtræ totius ſumma eſt; qui Deo dante gnauiter exequatur: Hunc ego verè Philoſophum imò Sophum dixerim: qui nimirum id cum Bono Deo feliciter inueniat, quod Philoſophi omnes tot ſectis inter ſe diſſectis, nihil niſi Sapientiæ amorem profeſsi atq; ſectati, vita & morte quoq; in ipſa quæſierunt, nihil minùs tamen quam hoc inuenerunt. Neque verò id mirandum eloquentiſsimo Auctore « Lactantio. Ideò enim veram ſapientiam inueſtigare, « comprehendere, tenere nō valuerunt: quia Religio- « nem aut prauam retinuerunt, aut totam penitùs ſu- « ſtulerunt. Numerent ſanè illi quot & quantos velint ſuos Sophos: quorum tamen Principes numero vix totidem proferent, quot Thebarum portæ vel diuitis oſtia Nili: His tamen ego veri Sapientis nomen haud conceſſerim: quos tàm procul à nomine ac re ipſa veri Sapientis & Sapiētiæ fuiſſe ſciam: quantum à Religionis veræ ſtudio. Vt minimè verear, illam quoque tertiam benè beateque viuendi, adiutricem (poſt Religionem & Sapientiam) optimam inquam regendi Rationem, illis etſi tot Rerumpublicarū legiſlatoribus & Conditoribus: minimè ſubſcribere. Nam ſi Religionis inopia, veram Sapientiæ laudem illis ab-

illis abiudicauerat qui fieri poteſt, vt hos ego bonos & felices Rerumpublicarum adminiſtros atque rectores fuiſſe dicam? qui vel ex ipſo Philoſophorum Principe didicerim; Sapientem Ordinare & non Or- » dinari oportere: id eſt regere & non regi: ad quem » pertineat ſcire omnia, etiam difficilia, certiùs longè » quàm norint alij, per cauſam ſublimem, quæ ſcienti- » am ſeipſa contentā animo Sapientis ingerat, & ipſum » huius ſcientiæ merito aliorum hominum ceu quen- » dam Architectum reddat: qui regat alios ſibi ſubie- » ctos: ipſe porrò ſub æterni illius Principis æquiſsima » lege viuat: Quæ ſanè omnia non niſi veræ Religio- » ni ac Sapientiæ Chriſtianorum in acceptis ferenda nemo negauerit, niſi qui hominis Chriſtiani leges, aut omnino neſciat, aut ſi ſciat, per ſcelus vel ignauiam explere nolit. Sciebas & optimè quidem hæc omnia, Magne Præſul; vel à puero ſtatim: poſtquam nobiliſsimis parentibus, antiquâ ſtirpe, antiquâ fide, antiquâ probitate hominibus oriundus, Chriſto Deo nomen dediſſes: Iam tum à Deo primùm luſtratus, à piiſsimis Parentibus edoctus, ab optimisq; primæ pueritiæ Magiſtris formatus, ad Religionem illam ſolis Catholicis hæreditariam omnes viuendi rationes componebas: iam vix dum etiam verba formares, Numen illud cognitum in animo, ex animo venerabâre, cùm Deo vero preces, laudes, grateſque concipere: atq; hæc eadem per ritus & geſtus exprome-

res: My-

res: Mystem certè vel Flaminem Te Magnum aliquē futurum suauissimi Parentes ac fidelissimi Præceptores, euentu minimè dubio sæpiùs ominati dicebant: quoties te nihil nisi sanctum, cœleste, diuinum, agere, dicere, meditari; vel inter prima Aetatulæ illius rudimenta iucundissimè viderent: adeò prorumpebat iam ex literulis etiam tuis illis primoribus, quas auidissimè cum omni pietate discebas; Flamma Religionis: in illud tuum innocens pectus, à Deo cælitùs immissa: nec ætatē expectabat sublimis animus: cuius in Te, celerior semper quam ætatis cursus fuit. Quid verò illa tua dicam Adolescentis Iuuenisque studia? Maior ætas, maiora quoq; se præstabat in dies: quorum numerum virtutis literatæ numero, simul ac momento superare, pulchrum Tibi Adolescenti ac Iuueni semper fuit. Virtutem literatam illam ad Religionis veræ normam, nunquam non exigebas: dum illa pulcherrima Pudoris niuei, Continentiæ illibatæ, Modestiæ verecundæ, Laboris indefessi, aliarumq; virtutum ornamenta: quo Religiosior ac proinde Sapientior esses, optimos quosque secutus, vndecunque posses, ita conquirebas: vt non priùs cæpto desisteres; quàm studiorum ac vitæ socios, longo post Te interuallo relinqueres: maiorum porrò monita & exēpla ex amussim, vt illa ferebat ætas, exprimeres. Non iam capere poterant angusti fines domesticæ institutionis illum adeò Augustum Animum,

mum, ad magna quæq; natum: vt olim Alexandro imperium extrà Macedoniam, sic Tibi vltrà domum & patriam Institutio maior quærenda fuit: quæ animo Tuo magno digna responderet. Vidit te Iuuenem indole optimū, virtute innocuum, ingenio peracutum, memoria felicem, lingua facundum, studio sollicitum, vir Amplissimus Petrus Miscouius, Episcopus Plocensis, postea Cracouiensis, iudicio, consilio, & eloquentia quis & quantus in Ecclesia Episcopus, in Repub. Senator? Cuius Tu gradibus pulcherrimè nunc ascendis: Vidit inquam ille in Siscouio, licet adhuc Iuuene Virum: Mecœnas agnoscit Te suum Maronem: neque animum paternum in Te suū effudisse contentus: manum etiam beneficam effundit; qua Te Magnum pro Ecclesia & Repub. hominem, quem nunc habemus felicissimè formaret. Romam Te illam Religionis ac Sapientiæ in arcem contendere iubet: in qua pietatis eruditionisque opes amplissimas in rem Ecclesiæ Patriæque comparares? Nec defuit euentus voto & consilio Mecœnatis illius maximi: Postquam te Roma illa ingeniorum parens, & altrix optima Romano ingenio, grandi scilicet esse vidit: & religiosissimis illis ac sapientissimis Doctoribus suis commendauit: Deus bone; quid non de illo ingenio sibi pollicebantur omnes, penes quos ingeniorum cultura esset? Iam tum ad ipsa Religionis & Sapientiæ Romanæ, scilicet Catholicæ,

vbera

vbera feliciter admotus, lac illud celeste imò Diuinum lambebas; quod Romanus Antistes ille Petrus, „ quasi modò genitos infantes rationabiles sine dolo „ concupiscere iubet: Concupiuisti & pleno ore hau„ sisti: florente illa iuuenta, quasi modò genitus infans sine dolo: Nam tuæ ibi artes Religionis & Sapientiæ studium, audire Dei vocem, discere Iustitiam, Sacramentum originis, finisque nostri cognoscere, humana contemnere, diuina suspicere, vt summum illud Bonum, ad quod omnes nati sumus adipisci posses. Hæ Tuę inquam, artium studiosissime Iuuenis (liceat enim sic apud Te de Tua Iuuenta Illustriss: Antistes) artes sine dolo: quibus omnes illas noxias iuuenum incautorum amicas voluptatum Syrenes grãdi & pio supercilio contempsisti, reiecisti, proculcasti: Nam Tuas illas longè diuiniores delitias animo iam conceperas, dies, noctesq; cum Deo, atq; Diuis religiosissimè versari, Sacrosancta limina tot Martyrum sanguine sacra non sine lachrymis osculari, locos omnes pietati, sanctimoniæ, deuotioni dicatos, animo consimili frequentiùs adire. Sic nimirum animo Te parabas: vt initium Sapientiæ cuius causa Romam veneras, Religionem cum Dei timore simul & amore statueres. Et felici quidem successu; Nam Literis iam illis humanioribus, quæ verè hominem, maximè verò nobilem inprimis decent, ac in quouis genere viuendi iuuant plurimùm incredibili studio superatis; post-

tis; postquam ex Poëtis, Oratoribus, Historicis, Philologis, quicquid cognitu dignum erat sub Antonio Mureto & Frãcisco Bencio disertissimis dicẽdi Magistris; ad vnguem didicisti: Philosophorum, Mathematicorum, Iurisconsultorum, ac Theologorum ad Exedras tali præsidio benè satis instructus accesseras. Hîc iam reconditioris illius Sapientiæ Diuinæ iuxtaq; humanæ mysteria demirari primùm, contemplari statim, perquirere, vestigare voluisti, quò feliciùs ac faciliùs inuenires: Nullum erat scriptorum genus, quod non studiosiùs inspiceres, non cupidissimè legeres, non fidelissimè teneres: nulla pulpita doctissimi alicuius voces eruditas personabant, quibus non aures animumq; commodares: nulli de rebus magnis, quæ ad Diuinam Humanamq; Philosophiam, differentium, quos vocant Circuli, quibus nõ Te includeres: at quid isthic erat negotij? sapientissimo cuiq; Præceptori ex Oraculo quasi respõsa danti, diligentiùs auscultare: dubitantem in grauissimis quæstionibus animum, quod rarum in magnis ingenijs est, quàm modestiùs explicare: quærentibus pro tempore etiam de rebus difficilibus, haud minùs comiter quam solidè respondere: In summa; optimi discipuli ergâ præceptores, iucũdissimi familiaris cum literarum socijs officium facere. Gratulabantur iam tùm sibi de discipulo tali, magni quiq; Romani Præceptores: ac inprimis Robertus ille Belarminus è Societate

cietate IESV Tuus in Theologia Doctor: qui nunc ipse Cardinalis, inter alios plurimos cum paucis Te conferendum, discipulum suum videt iam & animo toties deosculatur Episcopum: Pendebas ab ore sapientissimo Belarmini Tui, quem cœlo demissum, hominem verè Apostolicum imò Diuinum dixerim; ad Ecclesiæ sanctæ Catholicæ Romanæ Fidem integerrimam, ab Hæreseos furore vindicandam: pietatis Christianæ studium, in animis hominum excitandum: dignitatis & libertatis Ecclesiasticæ maiestatē retinendam: huius à latere Tu, velut ille Cicero à suo Scæuola, nec latum vnguem discedebas: huius aurea dicta, quibus illud plusquam Herculeum Controuersiarum opus arte diuina contexuit, laboreq; incredibili perfecit, non magis tabulis quam animo consignabas: iam tum ille alter Augustinus suum Te ceu Possidonium nobis formabat: cuius Claua & Gladio Exemplo simul & Doctrina, (id quod fecisti hactenus semper) immania illa Hæreticæ Schismaticæq; impietatis monstra confoderes, conficeres, penitusq; profligares. Gratulatur certò certiùs nunc sibi ætate laboribusq; pro Ecclesia susceptis, confectus ille Senex fortunatus, cuius scripta in omnem posterorum memoriam æternùm vsque manebunt: etiam Poloniam inter alios ingenio, virtute, ac doctrina præstantes, discipulos suos Martinum Siscouium Cracouiensium Antistitem habere in quo Belarminus ipse

nus ipse Cardinalis Maximus, Doctor maximus, Religiosus è Societate IESV maximus, vitam illam suam verè Apostolicam cum doctrina, vel antiquis Ecclesiæ Patribus propè simili nobis inter Sauromatas Catholicis demirantibus commendare videtur. Sed ex hoc tam suauissimo Belarmini Tui, aliorumq; Doctorum complexu, iam Te vel nolentem Mi Antistes abreptum, ab illa Fidei custode, Sapientiæ matre, Orbis domina, Gentium principe Roma, nostra hæc Tui quondam egens, nunc Te beata Polona Patria, quò citiùs redires ad se vocabat. Redis ergò iam ex illo totius mundi Emporio simulq; Compendio: multa Religionis, Sapientiæ, Dexteritatis in agendo aliarumq; virtutum ceu bonus mercator, merce locuples, ac onustus: depromis ex illo Amaltheæ Cornu animo Tuo ditissimo quicquid pro Ecclesia & R.P. studio maximo, labore inuicto, per Dei gratiam paraueras. Animaduertit Antistes ille magni ipse animi Petrus Miscouius: magna imò summa in Te omnia: lætus euentu felici, quem de Te suis votis conceperat, Munus Cancellarij sui peramplum illud quidem sed arduum in Te confert: Hîc tu Cancellarius Episcopo Tuo fidem integerrimam, Diœcesi amorem maximum, doctis peracutum ingenium, rudioribus maturum consilium, afflictis benignum subsidium, omnibus humanitatem insignem egregiè commendasti: officium nempe Cancellarij non spem in iudi-

cando

cando cōsulendoq; sequutus: Iudicij consiliiq; Tui, perpetuum obsidem: non quæstum, sed prudentiam, non impotentiæ vel procacitatis aculeum, sed iustitiæ veritatisq; Numen atq; lumen habebas: Episcopus iam seniculus Baculum Te rerū suarum quæ ad Pastoris curam spectabant, libens agnoscebat: vmbonem Palladis imò Religionis: quo qui tegebatur nullo modo lædi poterat, vniuersa Diœcesis Cracouiensis iniquissimis illis Ecclesiæ & Reipub. temporibus, non sine Gratiis venerabatur. Prorepserat, ex Cymmeriis nescio quibus angulis Fictus quidam Eques in Religiosissimam Societatis IESV familiam impudentissimè bacchatus, repressisti perduellem hominem, illa verè Ciceroniana eloquentia Tua: quàm Oratio pro Societate doctissimo & eloquentissimo cuique laudata, non sine Tua laude immortali perpetuò loquetur: Confossum verò ita ingemuit illud impudentiæ monstrum, vt è suis tenebris ad alteram Actionem post primam illam frustrà tentatam minimè proriperet, postquam sensit, quantus pietate in Deum, Zelo in Religionem, eloquentia & imperterriti animi magnitudine, contrà Religionis hostes, Miscouij Cancellarius esset. Iam te in Sortem Domini vocatum eodem tempore sacrum illud Canonicorum Cracouiensium Collegium, vnum è suo corpore fratrem optimi & longè doctissimi Sacerdotis honoribus auctum salutauerat: cum Tu omnes

omnes illas quà publicè quà priuatim præclaras vitæ rationes Tuas Deo penitùs consecraueras. Animum ita rebus diuinis intentum habebas: vt cùm aliquid in rem Ecclesiæ vel Patriæ commentandum foret: precatione, cùm inquirēdum: voto, cum exoluendū: gratiarum actione, cùm exposcendum: animi submissione, cùm impetrandū: solenni ritu, Sacrificium perageres. Dignum Te non modò Stanislai Collegio Canonicum, sed etiam Infula Diui Præsulis dignum Antistitem futurum; omnes iam probi: aperta etiam comprecatione verum certè ominati præsagiebant, qui ex illo fœcūdissimo Episcoporum Seminario tribus Infulis insigniendus Mystes à Deo iam destinatus ab vniuerso Clero populoq; proclamatus eras. Vidisset quisq; domum illam Tuam quam Canonicus Cracouiensis incolebas, Templum quoddā pietatis, Ascetarum Prytaneum, Doctorum Parnassum, Iuuenum studiosorum Heliconem, pauperum Asylum, illis omnibus apertum: quos opis egentes humanitas illa Tua ad benè faciendum effusa, non solum benè sperare, at etiam aggredi, & agere pro Ecclesia & Repub. iubebat: Sic profectò sic Tu nondū Episcopus, iam quæ sunt Episcopi agebas: rem ipsam ante nomen, munera Pontificum ante Infulas exercebas. Miscouium illum Tuum iam hinc Fata vocauerant: cùm ille qui Episcopatui successerat, felicis & immortalis memoriæ Cardinalis Georgius Radziuilus,

dziuilus, Ille Ille purpuratus Ecclesiæ ac Reip. Pater sed & Pater Academicorũ hominũ: præcipuos inter; quos amaret imò coleret, Te Canonicum habebat: exosculatus nõ semel illud pectus quod nihil nisi pietatem spirabat. Videbas Tu pientissimum Cardinalem pietatis Catholicæ promouẽdæ in vniuersa Diœcesi nostra cupidissimum: videbas piorum ac doctorum hominum amantissimum; incessit quoq; animum Tuum diuini amoris ignibus æstuantem, non nisi diuinitùs excitatum, Rei Diuinæ curãdæ ac salutis hominum in maius propagandæ studium: & statim ad Cardinalis; imò ipsius Dei quo Cardinalis ille plenus erat Auspicia; cogitare cæpisti: quid illud tandem esset, quo ad Opt. & Max. Dei gloriam, perpetuum monumentum excitares ad animorum verò fructum, insigne momentum adferres: Ad Crucem, ad Crucem illã Crucifixi pro nobis Dei sanguine pretioso rubentem aduolutus (id quod Tibi semper moris est) Oraculum consuluisti: responsum non ex Apollinis ast æternæ Sapientiæ Diuino Tripode latum accepisti: Sacrosanctum illud IESV CHRISTO Domino Seruatori nostro pro nobis in Crucem suffixo Compatientium, Sodalitium conscriberes, ex hominibus piis quorum animis atq; corporibus vulnerum Domini sensus altiùs imprimeretur: ad magis excitandam & retinendam in omnibus Mortis illius diuinæ memoriam, quæ vitam nobis in omni æternitate pe-

tate peperit. Morem gessisti Deo iubenti: rem cum Cardinali, & piissimo quoque communicasti: animum ad gerendum adiecisti: potestate à Christi Vicariò primùm; dehinc ab Antistite optimo datâ: Crucis apud amantissimum Franciscum; Crucifixo Deo aram, hoc ipso die, quo Regi nostro Serenissimo Wladislaus ille Patris & Patriæ delitium nascitur; locasti: Vnigeniti ab æterno ex Æterno Patre geniti Labaro, primogeniti ex Rege nascẽtis Auspicia consecrasti: & quam precamur victoriam illi Principi; nunc bella pro Deo parãti: in Illo Signo, quo Magnus vicit Constãtinus, haud vano certè omine præsignasti. Vexillũ Pænitentiæ, & quæ ab illa nascitur salutis; pro salute omnium erexisti. Dederunt post Regem, Regisque filium Ordinis huius nostri Protectorem, post Cardinales Radziuilum atq; Bathoreum, in albũ illud Crucifixi Dei minio (Sanguine inquam Diuinissimo) depictum, atque veluti Cedro notatum: Nomina sua in Librũ vitæ ascripta, multi etiam ex vtroque Ordine Principes illustres, Prælati insignes, Academici pietatis amantes, optimi Sacerdotes, Religiosi amore Diuino feruentes clarissimi Heroes; Heroinæ lectissimæ, viri pij, fæminæ deuotæ, puelli etiam innocentes, quos amor Crucifixi felices incessit: ad illud pernobile Trophæum, à te Christo Opt. Max. erectũ carne propria calcata, multò ante suos annos libenter euolarunt; Horum Tu agmen ducis & maiora quoti-

 die,

die, non ſolũ in Vrbe hac Regni Principe: at in toto
etiam Regno, vbicũq; Compaſsionis Sodalitas eſt: in-
cremẽta vides. Felicem Te tali tantoq; Contubernio
Præſidem, cuius ductu & auſpicio poſt Chriſtum Deũ
illiusq; Vicarium, illud ſacrum cõmilitium ſub Regis
æterni ſignis diuinis contrà carnem pro Spiritu, cõtrà
mundum pro Cœlo, contra Dæmonem pro Chriſto
ex illa Tua à Te præſcripta Militiæ noſtræ ſacræ Di-
ſciplinâ gnauiter exercetur. Oſtendes Tu aliquando
in Illa die Maximo Regi ac Imperatori Tuo & noſtro
pulcherrimam illi ipſi Compatientiũ phalangem, non
alijs armis quam Cruce Domini, flagellis, & clauis ar-
matam: exhibebunt vnà tecum Commilitones hi,
Scutorum & clypeorum inſtar: humeros, & ſcapulas
vibicibus liuentes, & cicatricibus exaratas: quas cor-
di, & corpori; amor in Crucifixum altiùs inſculpſit:
Recognoſcet illa quondam in tantũ afflicta: nũc terq;
quaterq; beata: Regis noſtri pro cũctorũ ſalute homi
nũ in Cruce mortui; Deipara Mater ac Virgo puriſsi-
ma: fratrum atq; ſororũ illi ſub Cruce modo non ani-
mam agenti, condolentium atq; commorientium in
Oratorio Tuo lachrymas, gemitus, & ſuſpiria cum la-
chrymis effuſa: illudq; vinum Angelicum, Filio ſuo ac
Deo noſtro propinabit: vt bibere Tibi nobiſcum v-
nà liceat: ex illo genimine vitis, de quo ſe nobis pro-
pinaturum, in Regno Patris ſui Dei Filius ille ſpontè
promiſit. Verùm ego hic Orationi modum ponere

debeo:

debeo: dum illud Tuum, in Compaſsionis Domini-
cæ Collegio ſuſcitãdo, facinus pluſquam heroicum;
omni dignum æuo: tale eſſe video: quo in laudãdo;
quæuis etiam eloquentiſsimi hominis copia inops
eſſet: quod ſi olim; dum inficetus Orator, Epinici-
on Chriſto Triumphanti, nomine fratrum apud Te
dicerem: omnibus Tuis pro Eccleſia & Repub. præ-
clarè factis antepoſui: vel Tu ipſe Cenſor benignus
facilè ſubſcribes: vbi pro Tua pietate cogitabis: rem
hanc quæ in Oratorio Tuo peragitur: rem Dei ſolius
& noſtræ ſalutis eſſe. Felix iam Prognoſticon æternũ
illud Numẽ Tibi dederat: illa in vrbe, atq; adeò Diœ-
ceſi ampliſsimâ, Principem ſacrorum Te aliquando
fore: cuius in gremium; illas omni auro maiores
diuitias, ex ipſo Diuini ſanguinis lytro incomparabi-
li, priuſquam etiam Epiſcopus noſter eſſes, Chriſto
annuente imò iubente; Chriſto pijſsimus, omniumq;
ſaluti deuotiſsimus effudiſti. Sed non prius hîc apud
nos Prouidentiâ illâ ſic agente, radiantis Infulæ iu-
bar longè lateque nunc nobis conſpicuum exeruiſti:
quam illos virtutum Epiſcopalium radios illuſtres; in
eam Regni huius oram diffunderes: quæ licet orien-
ti Soli propior: lucis tamen illius ſupercæleſtis egen-
tior erat. Luceoriam antiqui dixêre: Luſcum; cum
Cromero Sarmatarum Liuio, melius dixiſſent: nam
etſi lux ab hoc ſole quem illi viciniorem haud inui-
demus; eam prius adſpicit: ob Religionis tamẽ Catho-

 licæ

licæ (quæ vera lux animorum est) raros in ea cultores; Luscum multorum Hæreticorum ac Schismaticorum domicilium: vt pote magna sui parte veræ fidei lumine orbum; olim fuit: Luceoriam nomine, postquam Siscovii Præsulis, clara lux orta est eis: reipsa Luceoriam vidimus. Densos in illa Solis apud Sarmatas orientis regione: tenebras errorum atq; sectarum fuisse, conquesta est nõ semel nostra hæc; quid vero maiorum illa nostrorum ætas? Luce Religionis Orthodoxæ maiori opus erat: hanc inuexisti Præsul Luscensibus illis: vt verè Luceorienses essent: postquam Te nonnisi à Deo vocatum Summa Sede probante, ac Serenis: Rege volente, gratulabundi suum Antistitem acceperũt. Effundunt statim ibi Tuæ Lunæ geminæ, Religionis & Sapientiæ lumen duplicatum: quo tetram Hæreseos ac Schismatis nebulam; à multornm sanè animis tam diu in scelere ac errore volutatis depulisti: lumen Luscensibus; vt eos verè Luceoriẽses nũc esse maximâ parte gaudeamus: reduxisti. Est enim profectò clarissima hæc lampas vtraq; Religio & Sapientia: quibus hominum animi tantò feliciùs quam oculi perlustrantur: quantò plùs animorum quam corporum cæcitas miseriæ habet. Quid ego hic memorem? totius Diœcesis illius vastissimæ longè dissitas Ecclesias per Te lustratas! Diuini cultus honores vbiq; ampliatos: Sacra olim intermissa denuò instaurata: templa Deo atq; Diuis restituta: Patres illos Fratresq; Seraphicos Cremeneciũ introductos: Clerum ad Sacrosancti Canonis Apostolici normam; in viuendo, & docendo redactum: populum Catholicũ ex lege Dei & Ecclesię viuere iussum: Hæreticos, atq; Schismaticos, vel Ecclesiæ matri conciliatos: vel ad mitiorem saltem vitæ rationem, potestate compulsos: aut humanitate persuasos. Perstringebat omnium oculos: micans illa Tua, diuino lumine grauida Luna duplex, Religio & Sapientia: quarũ hæc instruebat verbo: illa monebat, sed & mouebat exemplo: hæc rectum de Deo sensum, illa rectum in Deum cultum, Catholicis legibus Cæremonijsq; deuinctũ, docebat: Adeò multùm potest Episcopi verè Apostolici; recta in moribus & actione omni vita, ex veri & honesti normâ. Neque graue Tibi fuit Religiosissime Antistes Martinum illum Tuum Episcoporum decus: re simul atq; nomine ferenti (quod fecisse illum refert Seuerus Sulpitius) apud rudiores etiam è plebe pueros; imò & adultioris ætatis homines Cathechistẽ ipsum agere: quibus de Fide ac vita Christiana docendis, præclarè mereri voluisti: dum auream illam Belarmini Tui Cathechesim, lingua nostra Patria loquentem fecisti: quo pluribus quoque scripto per omnium ora volante prodesses. Ita nec Belarminus Ecclesiæ lumen illud atq; columen digniorem Te Logoteten vllum habere potuit: nec Tu Belarmino Authographum Christiani dogmatis meliorem: quem Serenis: Principi nostro Wla-

 dislao

dislao; primas cũ vera pietate Catholicá literas discē-
ti, ad palatium mitteres: dehinc in Polonia Catholico
rum omniũ Templis, Scholarum præceptoribus, No-
bilium familijs vnicè commendares. Illud verò quã-
ti apud se beneficij Diœcesis Luceoriensis à Te sem-
per habebit? cuius in Ciuitate Prima, viris è Socie-
tate Iesu Religiosissimis, nutu diuino accersitis: do-
micilium pietatis, atq; Gymnasium eruditionis, ma-
gna liberalitate constructum excitasti: Non alio sanè
consilio: quam vt in partem laboris illi essent: quibus
perpetuus, pro Diuino cultu, & Ecclesia Catholica,
vbiq; terrarum labor est. Quicquid ergò illi homi-
nes Religiosissimi de Ecclesia Dei, de genere morta-
lium, ibi merentur: id Tibi magnâ parte, post Deum
in acceptis reddunt: Teque suum Patronum in So-
cietatē meritorum libentissimè vocant. Manum hac
in re, cæptis ab illo verè Bernardo Macieiouio Car-
dinali, eius Diœcesis olim Antistite, nostroq; nunquã
satis laudato Pontifice, præclaram imposuisti: quod
enim ille, multa inter alia, suæ pietatis, & optimi co-
natus, in eam Ecclesiam argumenta designauerat: Tu
Cardinalem; ô quam semper tuum? prosequutus e-
gregiè perfecisti: Tibi scilicet Cancellario quondam
suo: rei benè gerendę, Cardinalis ille homo verè diui-
nus materiam dederat: quem vt nunc inter Cracoui-
enses, ita olim apud Luceorienses Episcopos ordine
tertius ab ipso (mirum sanè id Euentũ Mystica sem-
per illa

per illa Triade sacratum) exceperas: vt quicquid
Diœcesis illa post Macieiouij labores, in bonis habu-
it, augeres: quicquid hominum vel temporum iniu-
rijs interciderat, redderes: quicquid ad Ordinis in-
tegritatem deerat, adderes: Et cum hæc omnia Dei
fretus ope non in feliciter egisses, Illustriss: ac Re-
uerendiss: Successoribus, tam benè partæ Rei tuen-
dæ, Lampada Pontificibus dignam de manu tradidi-
sti. Magnum illud excellentis virtutis argumentum:
& probatæ conscientiæ fructum esse, magni quiq;
voluerunt: cum fasces pro fascibus committuntur:
& qui magna consecutus est, maiora tamen mereri
iudicatur, idque à maximis: sic nimirum in Te vidit
neq; inuidit, imò gratulata est Polonorum R.P. Nam
vbi Tu in illa Episcopa Luceoriensi omnes boni Pa-
storis numeros exples: sic visum Deo Moderatori re-
rum Summo: altiorem in Ecclesia & R. P. gradum
conscenderes, ampliùsque de vera pietate Catholica,
& publica salute benè merendi Theatrum haberes.
In animo Pontificis Maximi, & Serenissimi Regis
nostri, altas radices insignis Tua virtus egerat: ad
maiora Te vocantem Deum ipsum vltrò illi sequũ-
tur: & Plocensium Episcopum ad omnium votum
esse iubent. Quis tum putas animorum in Luceori-
ensibus atq; Plocensibus fuit sensus? illi se Cleri Pa-
rentem, Nobilium Patronum, plebis altorem amisis-
se, gemitu ad cælum sublato querebantur: hi nouum
quod-

quoddam & beneficum sibi affulgere Sydus, cum læta boni Ominis præsagitione gaudebant: illi partam virtutem meritisq; gloriam commendabant: hi maioribus longè destinatum animum cupidiùs peroptabant: illos Pastoris discessus ex beneficijs, à Pastore datis ad animi tædium agebat: hos ampla nec vana spes de dandis maioribus accensos vrgebat. Vtrobique sanè maximum desiderij de Virtute, Beneficio, Gloriaque ipsa certamen. Et verò Tuus ille honor ibus altior Animus, seipso nempè locupletissimo virtutis præmio facilè contentus fuisset: nisi Te Numen ipsum, ad maiora; quibus gerendis animum adeò sublimem ab Illo datum accepisti: vel tacito sensu vocaret. Didiceras id quod Sophus ille præceperat Deum sequi absque murmure: das proinde minimè reluctantem, ad sublimiora ducenti Deo manum: & vbi Luceoriensibus illis animi & studij perpetuos relinquis obsides: immortalia in eos benefacta; iam Plocensium Pastor ouium, Ouile peramplum illud benignè recognoscis. Nouum sibi, ex vetere illa Pontificum memoria, cælo delapsum Pontificem Martinum Siscovium: Plocia Pultouiaq;, Diœcesis illius nobilissimę gemini velut Ocelli viderunt: ac nō sine iucundissima, voluptatis ex imo cōceptæ lætitia: manentem ibi suspexerunt. Nam quid Massouijs illis Religione auita, literis, & ingenio, vel Sagum vel Togam spectes! clarissimis; Pontifice Siscovio defuisset? qui totum se illorum commodis, in Templo, Curia & foro commodauerat, ac penitùs effuderat: euisceraffet etiam animam, nihil nisi benè cuiuis cupientem, si tanta beneficij necessitas illum vrsisset: Benefaciendo beatus erat: nec alium virtutis suæ præconem; Theognidis, quin potiùs Dei monita secutus: ante se libens lætusq; mittebat: Vos ego hîc antiqua pietate venerandi è Plocensi & Pultouiensi Capitulo Patres cum reliquo Clero ac populo vestro cōpellarem: quis ille Siscouius apud vos Antistes esset? quem sanè vobis verè Martinvm fuisse diceretis: cuius in Deum Religio, in Ecclesiam Zelus, in literas amor, in egenos liberalitas, in afflictos beneficentia, in omnes benè merendi studium, tot sua in omnem posterioris Æui Gratiam, apud vos monumenta reliquit. Proferretis vos, quæ vestra ingenuitas est, Apostolicorum hominum, sub vexillo Iesv militantium Societatem: Plocię maximo virtutis & literarum fructui plantatam: Clerum & populum ex incendio luctuoso recreatum: & in spem rei melioris adductum: Pultouiam è fauillis ereptam; maiori quàm antehac fuisset, splēdori restitutam; Arce, Gymnasio, Xenodochio non minùs auctam quam ornatam: annona toties ac ære subleuatam: à cæde, rapinis, & ignominijs malè feriatorum hominum strenuè vindicatam, ereptam, atq; seruatam: Hæ tuæ sunt Rerum in illa Diœcesi gestarum Imagines Illustriss: Antistes; non

fucatæ, at viuis coloribus depictæ: hæ ſtatuæ non alicuius Lyſippi ex ebore, ſed ipſius Dei artificio ex beneficentia ſculptæ: hæ Pyramides atq; Coloſsi cælo non minitantes, at propinquantes: hi Obeliſci non ex immani aliquo marmore, ſed ab animo Tuo maximo exciſi: hi Triumphales Arcus, non opere vermiculato, ſed Pontificio grandes atq; ſpectabiles: Hæc, inquam, omnia perpetua Virtutis Honorisque Tui ſimulachra: quæ mortui etiam nomen, ad poſteros cum Gloria tranſmittent: & immortale Tuum in omnes benè merendi ſtudium vbiq; loquentur. Quæ dum à me dicũtur: Tu quidẽ Præſul Humaniſsime: pro ea qua es maxima præcelſi animi Tui moderatione, verecundè ſimul ac modeſtè recognoſcis; at ipſa illa præclarè à Te factorum magnitudo teſtabitur: ad noſtrorum & exterorum hominum famam in „ illo Plocenſi ouili: Paſtorem ipſum, & Epiſcopum a- „ nimarum noſtrarum Tibi intuenti; animum ad maiora etiam, quæcunque Dei Opt. Max. gloria gregisq; ab eo commiſsi vita poſtularet; nunquam defuiſſe: Neſcit enim niſi magna moliri Paſtoris qui Christi morem ſequatur animus: cui nunquam aliquid magnum eſt: quãtumuis magna faciat: dum Summi Paſtoris illius, ouium ſalutem propria ſalute præſentantis, amorem immenſum animo cernit. Ea nempe cura cæleſtis, imò Diuina, tuum illum ad Diuina ſemper erectum animum, dies atq; noctes premebat (vtque ſic dicam) excoquebat: quò veri in Eccleſia Epiſcopi munus, ad numeros expleres: nec priùs ab optimè gubernandi: quàm viuendi officio deſiſteres. Atque hinc ſanè profectum quiſq; vel Catone ſeuerior ipſo Cenſor iudicabit: ad boni Paſtoris in Eccleſia gloriam immortalem, & hoc alterum in Repub. Boni Senatoris decus illuſtre, ſociali quodam velut iure ad Tuos virtute, ac ingenio quæſitos & partos Honores acceſsiſſe. Nam vt dextra hæc, quam in corpore noſtro fortiorem habemus manum; in leuam robur atque vim ſuam effundit: ſic boni Epiſcopi virtus, diuinâ quadam Sympatiâ rectè volentem atq; conſulentem pro Repub. virum, ope ſua facit & effingit: nec magis ex Repub. Senator fuerit: quam vel ipſe bonus Epiſcopus, vel qui huic aurem, animumq; det; certè non niſi recta, quæ ſecundùm Deum ſunt, pro Deo & Repub. monenti. Agnouit Te Præſulem optimum vtraq; illa Eccleſia; Tuas Infulas amore magno complexa: Vidit etiam & mirata eſt ſemper hæc ipſa Polonorum Reſpub. Senatorem optimum incredibili ſtudio proſecuta: Nam apud quam nobiliſsimos natales; præclara maiorum ſtirpe natus, ex antiquo trahis; in illa Ciuẽ, & Virum animo ac officio bonum Te habemus. Magnum ſanè quiddam eſt, & à Principis Honore atq; Onere primum in Repub. Ciuem, ſiue quod in Polonia idem eſt, Nobilem naſci: maius multò Patribus illis Conſcriptis de R. P. ex R. P. conſul-

consultantibus adscribi: longè verò maximum Patris Patriæ laudatum officium facere: atq; vt vno dicam verbo: munere non solo nomine Senatorem esse. Nã quæ hîc obsecro in illo homine, qui omnium in rem consulit, non requiruntur ex virtute, doctrina, rerum agendarum vsu petita subsidia? quam perspicacissimum esse Principis oculum oportet: qui tàm varia tàm procul remota, cum Principe sæpiusq; pro Principe videat? quam labore inuictam, periculo intrepidam, largitionibus incorruptam, dexteritate promptam manum? quæ Principis animum, sub Aethna Imperij non raro fatiscentẽ, plusquam Athlantico robore teneat, confirmet, & quo Deus ac Repub. iubeat; inoffenso pede ducat. Plura sanè hoc in viro, qui Principis oculus, manus, imò & animus est: hominum tam varia studia quærunt, ac petunt: quam effinxisset Homerus in Agamemnonis Nestore, Euripides in TyresiaCreontis, Hesiodus in Iouis ipsius Prometeo. Sanè vt benè regere, ita & regibus benè consulere nõ minùs periculosum, quam Reipub. necessarium: Nã in consilio bonorum, quæ affertur vtilitas, est Principis: si quid verò mali res attulerit, id omne, in Autorem consilij statim incurrit: Vnde prudenter satis acerrimi vir iudicij, PetrusAldobrandinus Cardinalis interrogatus, quid tutum esset viro liberè agenti cum
« Principe? Obsequiũ dixit: deinde quid periculosum?
« Consiliũ respondit; Vbi enim res malè cedit, ibi Cõsilij

silij autor non minùs à Principe quã subditis pessimè haberi solet: Inde illud antiquũ, sed catissimũ Plauti verbum. Plus oportet scire subditum quam loqui. At ego certè in Repub. quauis Catholica: legibus non tantùm humanis, at etiam Diuinis benè instituta, neminẽ & pro Repub. æquiùs, & pro Principe digniùs & pro vtroq; vtiliùs loqui putauerim; Episcopo qui simul idem & Senator fuerit: Quid enim Episcopus cui negocium cum Deo semper est, aliud suadeat? nisi quod illi ipsi Regi Opt: & Max. placeat? per quẽ Reges regnant: & legum Conditores (vt ait Sapiens) iusta decernunt. Quo nomine Sapientissimi illi Maiores nostri fuisse censentur: qui Principem Senatus partem, Archiepiscopos, & Episcopos esse voluerunt: penes quos, & Regis, & Regni custodia prior esset: apud illos alteram, qui ex Equitum Nobili Ordine virtute simul ac sanguine clari, Patrum in numerum leguntur: vterq; verò ille Ordo, salutem omnium cõmunem, à Deo, & eius Religione primam; ideoq; supremam legem haberet. Et quã pulchrè id quicquid est hac in re muneris, in Episcopum eundemq; Senatorem, conueniat imò conspiret? si pro Deo simul & Rege, pro Ecclesia & Repub. pro aris & focis patrijs, legibus, libertate, ac finibus excubias agat, si in rem horum benè consulat, si Laborem in negotio, Fidem in consilio, Constantiam in discrimine, Regi Regnoque commendet: si denique publicam omnium vitam

 tam

tam, fortunis, honoribus, vitâ quoq; ac sanguine tueatur. Hæc rudis illa quidem: at virtutum fœcũdissima, boni Episcopi, boniq́ue Senatoris Idæa est: quæ Bifrontem veluti Ianum, diuina simul & humana prospectãtem, vna simplici quamuis, pulcherrima tamen imagine refert. Sed profectò; nunc ipsa licet pro Te satis Virtus ac Veritas Illustriss. Antistes: vel illam etiam in bonis alienis lippientem inuidiam iudicem appellarem: quæ tamen infra Tuas illas Pontificias, ac Senatorias virtutes, longè se esse fateretur: illudq́; vi & sensu veritatis adacta diceret: non minùs Te bonũ in Repub. Senatorem, quam Episcopum in Ecclesia bonũ, semper hactenus fuisse: Id quod adspexit & mirata est in Te Polonorum Respub. statim atq; Te Senatus populusq́; Polonus, in numerum Patrum de Repub. consultantium, ex omnium voto & applausu cooptatum, excepit & salutauit: Deo clementissimo cuius in manu Sereniss. Principis nostri cor est; ita feliciter pro Ecclesia sua & Repub. nostra iubente. Ma-
" gnam vim esse, magnumq́; Numẽ vnum & idem sen-
" tientis Senatus; Orator idemque Senator ille Summus apud Romanos olim in Antonium dixerat: Vnũ & idem cum Deo, Rege, ac Repub. sentientis, optimè addidisset! quid enim non boni sentiat Senator cum Regẽ & Repub. qui non magis à Senio quam Sentiẽdo dictus, Dei sensa illa, quæ semper sunt optima sequatur? Non certè alij homines, illius consilia sequuti fon-

ti fontem in cæno quærent: non in aqua turbida potum petent: Nam à nemine, nisi mente penitùs excidat, inde peti consilium, (à Tribunalibus ad Infulas "
raptus, prudentissimus Antistes ille dicebat Ambro- "
sius) vbi luxuria: nam ibi quoq; statim intemperan- "
tia, & vitiorum confusio: Quis porrò vtilem alienæ "
causæ iudicet, quem videt inutilem esse suæ? Didice- "
ras Tu quidem id: ex Magno Antistite: Mi Antistes: antequam etiam Episcopus & Senator esses: animũq́; sic; futurus Episcopus, atq; Senator, ad illã à Deo Tibi præscriptam, rectæ rationis, & honestatis normam exigebas: vt inter ipsa mox prima Episcopi & Senatoris munera Tua, Virũ Ecclesiæ, Regi, ac Regno nil nisi optimè cupientem, nil nisi optimè consulentem expresseris. In acquirendis; sed & in dandis quoq; "
Consilijs plurimùm adiungit vitæ probitas, virtutum "
prærogatiua, beneuolentiæ vsus, facilitatis gratia, "
quod Consultissimus idem monet Archipræsul Ambrosius. quid an non in Te magna hæc omnia, ex quo cum Episcopo Senator esse cæpisti? Primam illam in vita rebusq́; agendis, ita Deo disponente, ducem Tibi cõstitueras animi Puritatem, magnis vndiq; virtutibus illustrem, seu quæ Virum: seu quæ Ciuem Te probum faceret. Hinc ille Tuus Numini semper & vbiq; præsens animus, honesti & æqui nunquam non amans: hinc Intelligentia rerum diuinarum & humanarum, iam superno lumine Tibi concessa: iam ex orbe

orbe scientiarum (Enciclopediam dicunt) emenso petita; hinc Solertia Cos ingenij, & doctrinæ procreatrix, in magnis etiam suapte natura viq; rebus vincendis occupata: hinc Prudentia Dexteritasq; agendi, boni amore publici non priuati spe commodi subnixa: hinc ille Candor, Fides, & Libertas, vbi res Dei, vel publica gereretur, in consilium & sententiam semper adhibita: hinc Veritas dictorum atque factorum, cuius in claustris omnis Ratio & Oratio Tibi semper esset inclusa. Quid dicam illam vim quasi quandam habentem Numinis proborum ac sapientum Amicitiam, bonitate morum, necessitudine literarum, studijs, officijs, & beneficijs, in plurimos: beneuolentia in omnes: diuino munere paratam? quid illam Religionis sociam, & consortem Prudentię Liberalitatē in omnes egentes non rogantes, dummodo dignos effusam! quid grati animi Voluntatem, in benè meritos, cum re; quandoq; re opus erat, omninò profusam? quid Magnanimitatem veri Honoris parētem, virtutumq; omnium splendorem, non languidæ sed viuæ tuæ Virtutis nūciam & interpretem? quid Magnanimitatis filiam Magnificētiam; non aurâ populari, sed dignitate publica, non luxuriæ apparatu, sed honoris ornatu, non sumptu inutili, sed decoro facilè parabili definitam? Iam Aristarchis etiam, vel Catonibus do iudicandas illas, in priuato quoq;, tantò magis in Episcopo, atq; Senatore, Virtutes altiore scriptorum

ptorum cothurno dignas; Clementiam Regiæ gloriæ cibum. Iuris alumnam, Iustitiæ sororem, vindictæ nisi pro Ecclesia & Repub. nesciam: robur illud animi (Fortitudinem aio) saxum immobile nouercāti; Lydium lapidem, blandienti fortunæ pro tempore obiectum: vnde coaluerat inuictæ illius Patientiæ, velut adamantina quædam armatura, Cōtinentia & Abstinentia animi, corporisq; medicina, sanctitatis & ingenij pabulum, in magna opum affluentia nunquam non illibata: & hæc omnia, cæteraq; maxima, & plurima virtutum ornamenta: modestiæ, grauitatis, atq; comitatis insignibus; vultu, oculis, ore, incessu, talem animum referentibus; illustrata & aucta. Non erit certè nisi vel rerum nescius, vel inuidia maleuolus, qui me; hac in parte auribus aliquid dare Tuis. Illustr: Præsul; mihi, amore fateor, at bono, qui erga Tuas virtutes est laboranti: suos inter angulos obtrudat. Panegyrim hāc; Diuino primum, deinde Tuo nomini Clientis iure dicatam; non mea, quæ Tuis virtutibus longè minora sunt, verba faciunt: at ipsa illa, rerum hactenus pro Ecclesia Patriaq; à Te gestarum, viua inter nos, & apud posteros æternùm victura Monumenta: quæ in omnium ore atq; oculis sunt: hæc ipsa in animo Tuo, rerum suarum benè conscio, & in hominum recta sentientium iudicio magna testimonia: quem & Ecclesia Episcopum, & R. P. Senatorem, Te habeat. Pulcherrimè semper officium

Episco-

Episcopi & Senatoris, ita simul eadem opera facis: vt dum partes vtriusq; muneris exples; quisque facilè in Te agnoscat: Gentilitium illum Tuum Gladium; splendenti Cruce, capulo quodam suo perfectum dicam an redimitum? & à præclarissimis maioribus acceptum: quando Crux Episcopum, Gladius Senatorem percommodè signet, atq; deceat, imò & doceat. Episcopum Te, ad aram, nunc sacrificio, nunc prece, nunc voto, Numinis placandi, salutisque precandæ causa Opt. & Max. Deo; litantem: Religio pura, innocẽs ac sancta facit: animo labis experte concepta: hanc Tu Episcopus, viuendi ac regendi normam habes: hac rerum, consiliorumq; omnium euentus metiris: hæc Tibi in agendis, vitandisq; fax elucet: hæc Animi Tui est Anima post Deum altera, hoc Dei donum firmissimum Tibi in Templis, Regum Palatijs, & Senatus Curia, de sublimi sella Patrum, grauissimè pro Patria dicenti præsidium: hæc animi, corporis fortunarumq; Tuarum obsequium, ita bene trahit in sua: vt Deo sis bonus Sacerdos; Ecclesiæ Præsul, Regi Mystes, Senatui socius, Equitibus amicus; Religiosis Pater, Doctis Mecœnas, plebi defensor, Xenodochijs Altor, pupillis Patronus: in summa erga omnes Episcopus; cui quidem; his Gradibus ab Episcopali Tuo in omnes munere defixis, certus; dante illo Clementissimo Deo; in cœlum ascensus paratur. Iam verò Senatorem ipsissimum Te nobis illa exprimunt,

munt: dum ex optimarum, & variarum, cognitione, vsuq; rerum, consilio pro re ac tempore capto: nihil ferè agis; quod non sit ex animi sententia: & vbi stulti sperant, vel præcipitant: cunctabundus ac prudens lentè maturas: hinc non difficilè Tibi, ex bonis mala, vicissimque præsentire; futura magis timere, quam præsentibus oblectari: non solùm ocium, sed etiam extrema omnia vitare: Nam in Repub. pro Repub. si quid agendum est; nec nimis agis, vt malum admittas: nec nihil, vt bonum omittas: nec parùm, vt non officium satis præstes. Ingenij Tui semper illud erat, imò totius nobilissimæ Familiæ vestræ: nihil admirari, sed admirabilem se omnibus reddere: nec sola verba, sed vultum etiam ad suadendum accomodatum habere: aliorum erratis benè vti; momenta pro belli & pacis auxilijs obseruata, quasi in numerato gerere: nec vnquam nisi Illam Illam vitæ magistrã Prudentiam ex vtilitate publica, dignitate sua, cum autoritate sequi: talemq; sententiam, quæ publicè priuatimq; valeret, ac prodesset, ad Comitia Centuriata ferre: Dignum id Episcopo & Senatore censes: quæ sunt Diuina sentire in humanis: quæ humana, in Diuinis: quo certiorem illam in rebus, de Vero & Bono mensuram habeas Sapientiam: ex quò illam, post Deum Immortalem, fontem & caput veritatis, ac virtutis esse, à Theologis didicisti: ex quò solum sapientem nosse imperium, in quo sunt omnia rege-

re ab

re ab Aristotele audiuisti: Inde non minùs Tibi augusta videtur,& iucunda, sapientissimi & optimi cuiusq; familiaritas: quam Tua, sapientissimo & optimo cuique vtilis est, atq; gloriosa. Sed & præclaros illos,quamuis mutos publicæ Societatis administros doctissimorum, inquam, libros ita in delitijs habes; vt vel in medijs quoq; negotijs, ab eorum consuetudine Te diuelli vix ac ne vix quidem patiaris: Hinc exemplorum illa ex omni ætate memoria, sententiarum momenta,verborum lumina:quæ Te scribendo, ac dicendo, vel ex tempore felicissimum; ac si vnum ex antiquitate illa doctiore,nobis exterisq; suspiciendum pepererunt. Legit olim Austriaca Heroina,defunctæ Reginæ soror, & doctissimi quiq; legerunt: de Obitu Serenissimæ Annæ Reginæ olim nostræ, grauissimo luctu exaratam, auctore Te Epistolam: & Scriptoris Tulliani palmam,haud inuiti concesserũt: Audiuerunt Te Serenissimi Archiduces Austriorum Ecclesiæ Nutricij,orbis Dynastæ; pronubum à Potentissimo Rege nostro Legatum; in Connubio Pientissimæ Constantiæ Reginæ nostræ spondentem: Oratorisque Summi nomen dederunt. Hîc mihi se campus longè vastissimus aperit: ex illa insigni legatione, cuius socium Sigismundum Myszkowski Gonzagam R.P. Marsch: antiquos inter Heroas iure ponendum habebas; maximæ laudis: quam ex illo tam præclarè acto negotio, non minùs Regi, & Regno, quam Tibi

Tibi ipsi, apud Austriacos illos, omni laudum genere Serenissimos Principes,gloriosam peperisti: Amicitiæ cum plurimis, & magnis hominibus, in rem nostram per Te ibi steterunt: Liberalitas haud rogata non sumptum timuit; sed Principis & R.P. quorum personam agebas, dignitatem cum maiestate retinuit: ac in illa Magnificentia verè Regia, rebus etiam à maximis superari non potuit: Animus extra omnem inuidorum ac maleuolorum aleam constitit:cui nunquam aliquis tantum detrahere potuit: quantum ergà Principem nostrum Benignissimum, & Rempub. Fidei & Amoris in dies magis & magis accessit. Illa verò non Panegyrim hanc meam exilem, at Monumentum aliquod ære perennius, in omni æternitate merentur: quæ ad flammam illam, eheu, funestam in Patria,suspicione animorum,an dissidio succensam? auertendam,ac restinguendam omni studio contulisti. Sanè illum, qui pro publica vtilitate; Fortunas, vitamq; contemnit: publicæ laudis,& gloriæ Villicũ „ quendam esse; non inficetè dixit quidã Prudentum: „ Id de SISCOVIO Episcopo & Senatore iudicabit olim; incorruptus iudex posteritas: apud quam; ad Superos etiam translato SISCOVIO, pro virtute Regi Regnoq; probata, Gratiarum Gloria reuiuiscet. Dignũ Te,Mi Præsul & Senator optime:coronaCiuica;quoties Rerum, in illo Patriæ summo discrimine, per Te pro Patria, & ipsius post Deum parente, Rege nostro

Pientis-

Pientiſsimo præclarè geſtarum; Annales euoluent: Sarmatarum poſteri decernent: quod non vnum aliquem ex ſingulari periculo Ciuem: ſed cõmuni clade, omnes Ciuilia bella vel mouentes, vel timentes Opt. & Max. Deo fretus, & Tuo bonorumq; conſilio nixus liberaueris. Dignum ego cenſuerim, & illa Obſidionali, apud Romanos omnium honoratiſsima (Plinio teſte inſigni) quod cum Principe, atq; Senatu coniunctiſsimus; propriarum magna parte curarum; illam omni obſidione grauiorem Calamitatem, ab inſolẽti milite nobis inuectam, ferale neſcio quid noſtris Aris & Focis minitantem ſolueris, depuleris, omninò ſuſtuleris. Quid enim in eo communi, & atroci ſanè malo, fuit adeò difficile; quod non Eccleſiæ, Regis, & Patriæ cauſa vinceres? quid tam aſperũ quod non ſuſciperes? quid tam periculoſum; quod non adires, inſpiceres, componeres? Chariorem longè communem, Tua priuatâ quaſi neglectâ, Patriæ ruentis vitam habebas: pro qua vbi tantùm auri non ſemel effudiſſes; animam etiam libens, ad omnem ſortem impendebas, imò & profundebas. O Præſulem certè ac Senatorem illum SISCOVIVM! qui pro Eccleſia, Patriaq; Rem dum adminiſtrat: non minùs Ordini, quam Nomini ſuo reſpondet. Adeò vobis MARTINIS familiare hoc ſemper fuit: nonniſi magna quæuis, ex vſu Chriſtiani orbis agere. Noſti Præſul Humaniſsime Cognomines Tuos: MARTINVM Turo-

Turonenſiũm Epiſcopum, CHRISTI Dei Matriſq; ſuæ Virginis Delitium, vitâ Angelum, prodigijs, doctrinaq; Apoſtolum, Epiſcoporum exemplar, Sacerdotũ gemmam. Noſti & illos CHRISTI Opt. Max. in terra Vicarios: MARTINVM I. Tuderti natum, poſt illos tantos, pro Fide ſuſceptos, atque victos agones: ex Cherſoneſi & mundi huius exilio, coronas ad cœleſtes, & Brauia feliciſsimè vocatum. MARTINVM III. Patria Romanum, manſuetudine placidiſsimum, Religioni totum addictum, Baſilicas vetuſtate collapſas inſtaurantem, pauperes eleemoſynis paſcentem; MARTINVM IV. Ciuem Turonenſem; Antiſtiti illi, quem Turones habebant, perſimilem: in Eccleſiæ dignitate retinenda, rebus Italiæ componendis, Regibus ad pacem vocandis, immenſo labore perfunctum, vitaque ſanctiſsimè defunctum, Peruſii miraculis illuſtrem. MARTINVM V. gente quidem Romanâ ex Columnis illuſtrem: ſed munere magis Pontificio, Eccleſiæ propter Schiſma grauiſsimum ferè labanti, diuinitùs datam Columnam: immobilem illam, in omni fortuna, & vita integram; quam vbi mors ſola non tàm ſubruiſſet, quam in celum ſuſtuliſſet: Orbis ocellus Roma tota ſic illachrimata eſt: ac ſi vnico atq; optimo parente orbata fuiſſet. Noſti omnes hos & minorum gentium Epiſcopos MARTINOS alios: arte regẽdi, ac vita claros: & felix imitaris; Ergò bonum id nobis Cracouiẽſibus

Omen

Omen, quod nouũ hoc Tuum inter Episcopos Cracouienses adeò benignum, & salutare nobis dat Nomen: in quo præter illos iam laudatos MARTINOS Illa Illa etiam antiqua, & illustria nostrorum Antistitum Cracouiensium, Prochori, Lamberti, STANISLAI, Gaudentij, Roberti, Gedeonis, Vincentij, Iuonis, Sbignei, atq; aliorum quos illa remotior, & hæc nostra propior vidit ætas, Georgij, Bernardi, & Petri Nomina simul & Numina cælitùs in Te delapsa, nobis etiam magno bono data nascentur. Nec Te iam illa hactenus Tua Plocia & Pultouia; quia sine fuco, & felle candidissima vtraq;, nobis inuideant: Iam vel Apollinis illius sui apud doctam iuuentutem de Te pulcherrimè certantem, sapientis arbitri iudicio stetit: Nostrum Te semper fuisse, nobisque deberi: nec Te illis ereptum: sed quem commodaueramus: longo ex Fructusvsu repetitum: non minùs illis quàm nobis ex re commodoque futurum. Noster eras, qui primùm apud nos Cracouienses, in illo summo D D. Stanislai ac Venceslai templo Canonicus, postea designatus Episcopus: Epithalamium illud; ex Te nouo Ecclesiæ sponso, hîc apud nos inspectante, Rege, Clero, Senatu, populoq; vniuerso; hîc inquam apud D. Stanislai Trophæa, Diuinam ad Aram, Oleo lætitiæ delibutus, nobiscum vnà cecinisti: Hîc inter nos diuinas illas Tuas, cum Ecclesia nuptias, Sponsore Summo Sacerdote, & Pontifice Christo IESV, & eius in ter-

in terris Vicario: Nymphostolis seu Paranymphis Episcopis, more pronubo pro Te exorantibus, Teq; instruentibus, & exornantibus, coram Deo, & eius Curia triumphante, ac militante, verissimis & oculatissimis testibus: Connubij sacri Diuinum Symbolũ celebrasti. Hîc apud nos, illud Tibi fuit exactum Fidei ac morum Examen; hîc stabilitum vnctione Diuina, suoq; tremendo Ritu Sacramentum: hîc Insignibus datis, ad spiritualem Oeconomiam, Tibi sancta concessa, plebis regendæ proles. Iam Te, vel ipsa hæc Inaugurationis Tuæ magna Symbola, hîc in Te collata sacrorum apud nos Antistitem Dei nutu signabant: postquam cum insigni gloriæ Diuinæ incremẽto, laudeq; Tua Meruisses. Nobis Te post illa summa Tua, in alios merita destinabant; vt quam pro Immortalis Dei Gloria, Russos inter atq; Massouios propagatâ, Gloriam quæsiuisti: Hîc vbi maiorem agendæ rei nactus es materiã, in maius proueheres. Quare dum Te Illustr: ac Reuerendiss. Antistes huic vrbi atq; adeò toti Diœcesi Pastorale Pedum illud (hûc ad nos fausto pede, progredientem ac ingredientem) inferre videmus: ita coram voce, vultu, oculis, & maiore his animo gratulamur: ita effusis certatim studijs, amplissimæ dignitati Tuæ fauemus: vt post æternum illud Numen adoratum; quod Te nobis Pontificem dedit: grauissimum de Tua Virtute SS. D. N. Pauli V. Pontificis Maximi, ac Sapientissimi Regis nostri

nostri iudicium: animorum consensione, atq; alacritate maxima comprobemus. Gratulantur nunc Tuis honoribus amplissimis etiam illi: ad quos sola, rerũ Tuarum cum Nomine Fama: vel in extremas Christiani Orbis oras peruenit: nostra verò quæ mens? quis sensus? qui animorum iucundus applausus esse debet? quibus Præsulem nostrum, virtutibus & Sacris & Heroicis ornatum, propiùs intueri, imò amplecti & submissiùs venerari licet. Iam Tua hæc cui pridem Spõsus destinatus eras, nũc præsens es, Ecclesia Crac: Annulum Fidei Amorisque sui Tesseram libens Tibi tradit: quam sanctam ac illibatam, Fide conspicuus intemeratâ custodias. Iam hæc cuius Tu Cancellarium dignissimum agis Academia Cracouieñ; Dei, ac Petri illius Romani Ancilla deuota, Ecclesiæ nutricia, Iagellonum filia, Studiorum, ac ingeniorum in Septemtrione fœcunda mater: Pietatis, Sapientiæ, morum, apud Sarmatas fidelis Magistra: Cydarim illam tuam sacram, bicornemq; Galeam Põtificis vertice dignam, Diuinæ ac humanæ sapientiæ notam, ceu Sydus recens ortum, illudq; beneficum, iucundissimè prospectat: suosque Fasces literatos, Infulæ tuæ Balsamum, nempè Clementiam, spiranti submittit, & committit: vt nihil nisi beneficum speret, nihil præterquam Dignitatis suæ, ex hac amplissima Tua robur, incrementumq; petat. Musæ ipsę quarum cultor maximus es, Principem Te suum hîc nactæ: Mecœnatem

cœnatem

cœnatem benignum vbi sentient: id quod certa spe sibi promittunt: in Tua Fide, Clientela, & Patrocinio suauissimè conquiescent: virosq; virtute insignes, ingenio acres, eruditione præstantes, ad omnia Ecclesiæ, & R. P. munia, Tuaq; seruitia, formare, & perpolire connitentur. Vrbs verò ipsa hæc Regum, Episcoporum, atq; Musarum sedes, cum tota Diœcesi, ex tot Ordinum, ætatumq; hominibus; in Tuum se paternum, ô Præsul benignissimè, sinum; nunc etiam effundit: & postquam Pastorale Sceptrum illud, Authoritatis insigne, Disciplinæ virgam, Imbecillitatis nostræ fulcrum, Ouili Tuo faustum, ac felix intulisti; cum toto Clero, populoq;, vota ad Christum IESVM, Hierarcham Animarum supremum; ex intimo amoris, & honoris erga Te sensu, pro Te Hierarcha nostro deuota facit: vt qui Te pro sua maxima Clementia nobis dedit Episcopum: ad Pauli illius Ter Maximi Formulam, Tito præscriptam: qui Te insignium meritorum, in Ecclesiam, & Rempub. Tuorum quasi manibus; in hac sublimi Ecclesiæ & R. P. specula, vigilem custodemq; locauit: Numine benigno compleat mentem, Episcopo ac Senatore dignam, quam dedit: det vitam animo corporiq; florentem, quam mereris: omnibus Consilijs Tuis, quæ pro Ecclesia & R. P. suscipies, ipse præsens adsit: actiones, & consilia Tua, glorioso & læto fine concludat; amplissimæque dignitati huic Tuæ, gloriam omnem & felicitatem

tem

tem circumfundat: quâ maiorem certè nullam fore putamus: vbi Ecclesia Te Religiosissimo Episcopo, Respub. prudentissimo Senatote, Academia fauentissimo Cancellario, Diœcesis vniuersa diligentissimo Pastore, pietatis incrementa, dignitatis decora, literarum studia, libertatis præsidia, maiora quotidie conquirant: hisq; præclarè partis iucundissimâ pace lætentur. Vnde post Dei Opt. Max. Gloriam Maiorem: gloriosa hîc ad Te solatia deriuabũtur: ac postquam satis Naturæ, Gloriæq; vixeris: æternùm cum Deo, Diuisq; illis maximè Episcopis; in æternitate viuentem, Immortale præmium excipiet. Quod sanè felix & optatissimum Omen ex omnium animis conceptum, in animisq; perpetuum, ex Tuo nostroq; voto, fluêre annuat, & faxit Ille ipse: qui sui muneris Põtificiam partem in Te contulit: animarum Episcopus Christus IESVS Opt. Max. omnes pro Tua nostraque salute Clementiam eius precati; volumus, oramus, & obsecramus. Ego verò Antistes Illustriss: ac Mœcenas benignissime, Tuæ Celsitudini sic semper inseruiam: vt quamlibet seruus Officij Candidatum vix me putem.